

1700/9.

218
II h
1088

Q. D. B. V.
DISSERTATIO SECVLARIS
DE

**TERNARIO ET TER DENARIO
BONI OMNIS NVMERIS,**

QVA

AD SECVNDA, SECVNDA ADMODVM, SACRA SECVLARIA
AD INSTAVRANDAM MEMORIAM

AVGVSTANAE CONFSSIONIS

ANNO MDXXX.

Imp. CAROLO V. & FERDINANDO REGI

IN COMITIIS AVGVSTANIS
AVSPICATO EXHIBITAE

IN ILLVSTRI RVTHENEO DIE XXVIII. XXIX. XXX. IVNII,
SOLLEMNI RITV CELEBRANDA,

*ILLVSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS,
IVNIORIS LINEAE RVTHENOS,*

COMITES AC DOMINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREI-
ZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLAIZA ET
LOBENSTEINIO ETC.

PATRIAE PATRES OPTIMOS,

CONSERVATORES ET PVRIORIS RELIGIONIS ET
ELEGANTIORVM LITTERARVM CLEMENTISSIMOS,
NEC NON

RELIQVOS HIC DEGENTES

ILLVSTRISSIMOS COMITES, IVN. LIN. RVTHEN.
TVM QVOQVE

MAXIME VENERABILES DNN. INSPECTORES, CETEROSQVE,
QVI VRBEM NOSTRAM ORNANT, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS
PL. REVERENDOS, PRAECLARISSIMOS, SPECTATISSIMOS,
DOCTISSIMOSQVE VIROS DEMISSE ADMODVM,
OBSERVANTISSIME HVMANISSIMEQVE
INVITAT

GEORGIVS LVDOVICVS GOLDNER,


Illustris Ruthenei Rector.

GERAE, LITTERIS WINTERIANIS



Exec. D. Dr.
von Cize
Com. offic. St.
mit





Apientes veteres, qui, uti aliarum rerum, ita numeri quoque rationem solerter sunt scrutati, in numero, qui *tria* continet, fortunatum quiddam inesse, non sine gravibus causis existimarunt. Nam divinum esse illum atque ad divina accedere propius censuerunt, & vel hoc nomine felicitatis omen cum eo coniunctum. Haec opinio, primo *Pythagorae* accepta refertur; cuius disciplinam sequuti auditores, palam & perspicue tradiderunt, omnia & singula, maxima, minima numero *trium* terminari. Nec alieni ab hac sententia antiquissimi videntur Poëtae, quos versus etiam celebrasse hunc numerum accepimus. De Vate Syracusano, *THEOCRITO*, res pervulgata esse dicitur; quem imitandi exemplum *TIBULLO* praeuisse putant. Neque id *MARONI*, poetarum principi ignotum fuit; quippe qui dixit fasusque

susque est, numerum hunc DEO esse dignum, quo DEVS ipse gaudeat non aliter, ac si in eo divinitatis suae imaginem vimque coelestem consideret penitus & contempletur. Atque propterea Vates ille *ternario* quasi delicio explevisse animum videtur. PLVTARCHVS, quem nihil temere prisca moris fugit, testatur, eo loco numeroque hunc haberi numerum imparum, ut omnium certe primus perfectusque videatur. Idem vero simile visum aliis est, qui cum res naturales studiose contemplati sunt, tum ad huius numeri legem & concentum quasi omnia redigere voluerunt. Assentiuntur COLVMELLA & PALLADIVS, qui multum numero impari tribuunt, nec Medici veteres in contrariam nituntur partem. Tanto minus praetereundum est, quod HOMERVS, a quo huius rei ducendum initium est, antiquissimum TER appellandi ritum memoriae commendavit. Haec ratio causaque THEOCRITVM induxit, quamobrem non temere, sed de industria fingeret, TER emissam Hylae vocem. Omnes tandem in eo consentiunt, numerum, quem praedixi, cum sanctitate institutum antiquitate moris eximium fuisse ac venerabilem. (*)

Nemo, nisi Zoilus forte, mihi vitio vertet, aut me superstitionis arguet, si antiquissimae isti suffragari opinioni, atque huic numero faustum quiddam inesse, statuum, atque ex eo singularem voluptatem capi-

(*) Vid. C. S. Schurzleischii dissertat. Academ. p. 64.

capiam, & illum ad singularem quendam felicitatis
meae partem, referam, quam multi forte optarunt,
paucissimi affecti sunt. Nam *triplex* illa & plane
singularis, non coeca, quam gentes coecae rerum
Dominam credere; sed Fortunæ Domini, DEO.
M. gratia singulari, mihi contigit fortuna, vt, ex
quo Divinis auspiciis, TRIBVS & TRIGINTA ab-
hinc annis, Gymnasio provinciali Ruthenico re-
gundo præfectus fui, TRIA SAECVLARIA SACRA,
non vanus & otiosus spectator, sed religiosus divi-
norum beneficiorum existimator & cultor, sanctif-
simi Numinis in honorem, celebrarim, & ILLV-
STRISSIMOS COMITES I. L. RVTHENOS
PATRIÆ PATRES optimos & piissimos, scholæ
provincialis Nutritores munificentissimos, ac uni-
versum eruditorum nostræ reipubl. ordinem, stu-
diosamque iuventutem fidei meae concreditam, ad
hanc pietatem exsolvendam, scriptis publicis invi-
tarim, excitarim & cohortatus sim. Primum in
his seculare sacrum, anno superioris seculi centesi-
mo expleto, omnibus quotquot tunc vixere, com-
mune, peractum fuisse, nemo ignorat. Anno hu-
ius seculi VIII. sequebantur solennia sacri secularis
primi, Illustris Ruthenei, anno M DC VIII, ab
HEINRICO POSTVMO, Iun. Lin. Rutheno,
Heroe in toga incomparabili, conditi; & anno XVII.
memoria emendatae per Lutherum religionis,
secundo elapso seculo eiusmodi solenni ritu fuit

A 3 instau-

instaurata. Nunc maior adhuc, quam inter tot
incipites vitae humanae casus & scholastici mu-
neris molestias aliasque afflictiones, per XL. si vnum
excipias, toleratas annos, sperare eo minus pote-
ram, mihi felicitas evenit, quum anno aetatis meae
tertio & bis tricesimo **QUARTVM SECVLARE SA-
CRVM**, memoriae exhibitae A. C. dedicatum, mihi
denunciandum & cum Collegis & civibus meis ce-
lebrandum est; vt adeo me terque quaterque feli-
cem prae multis aliis praedicare iure queam. At-
que idem tempus me admonet, vt pie grataeque
in **DEVM** mentis studio, in hac meditatione defi-
xus, etiam de numero, qui **DECIES TERNARIVM** com-
plectitur, magni olim Theologi vestigia secuturus
nonnulla edifferam. (**). Sane quod antiqui sive
Sophi, sive Vates de *ternario* statuerunt, vel finxe-
runt, fortunatum illum esse, & prae ceteris obser-
vandum; id rectius forte, ipsa experientia suffra-
gante, de illo **TER DENARIO** affirmare pos-
sum & praedicare. Nam antiquissima Historia-
rum peculiari studio evolventes monumenta in-
telligent, **ANNVM TRICESIMVM** fortunatum mul-
tis in seculis, magnarum certe rerum auspiciis, in pr.
ad religionem pertinentium, omnibus, eventu, vicif-
situdine insignem fuisse, & notatu adeo ac me-
moratu dignissimum.

Anno

(**) D. Io. Schmidt de hoc argumento egit in praefat. Dissertat. de A. C. nomin
occasione, auctoribus, &c.

50 Anno tricesimo, secundi, a rerum omnium
opifice conditi orbis seculi, SETHVS in lucem
editus est, disciplina patris sanctissima imbutus,
patriarcha postea summae dignitatis, alter gene-
ris humani parens, ecclesiae nascentis caput, re-
ligionis sanctae custos & assertor piissimus, quam
Caius omnis pietatis osor neglexit & corruptit.
Si & ortus & obitus magnorum virorum dies, im-
primis notatu digni habentur, annus *tricesimus*
Sec. X. ab O. C. minime praetermittendus erit,
quippe qui ADAMO, humani generis parenti, de
vera religione post infelicissimum lapsum consti-
tuenda optime merito, fatalis, & primo orbi lu-
tuosus. Circa annum *tricesimum* seculi vicesi-
mi, admirabilis illa lingvarum apud turrim Baby-
lonicam, confusio, & hominum deinceps per orbem
terrarum dissipatio, contigit.

Anno *tricesimo* vicesimi primi seculi, obtinuit
fortissimus istius aevi heros, ABRAHAMVS, magnus
ille plurimarum gentium parens, illustrissimam
contra reges Cananaeos victoriam, si Scaligero,
Calvisio, Helvico, adstipulari licet. Testatur illa
victoria de admirabili divini Numinis auxilio, &
cura in ecclesia tuenda; nec non de opibus ac
divitiis piissimi huius belli ducis, qui trecentis &
octo vernaculis, e familia sua armatis bellatoribus,
regum militiam aggressus est.

Anno *tricesimo*, sec. vicesimi secundi, ISAAC,
fame

fame compulsus in Palaestinam, habitavit in Gerar, in solo promisso hospes declaravit fide, aliam se patriam & certiozem sperare.

Anno *tricesimo* post bis millesimum ducentesimum septem illi fertiles anni a Iosepho praedicti, si Helvico credimus (in Theat. Chron.) incipiebant. Anno *tricesimo* post quatuor secula in Aegyptiaca servitute & in exilio a terra promissa, exacta, filii Israëlis, DEO Sospitatore, Mose duce, Aarone Sacerdote, myriadibus angelorum stipantibus, magno numero, post plura miracula, immensam Liberatoris potentiam testantia, ex Aegypto egrediebantur. Seculi *tricesimi* anno *tricesimo* florebat mirifice regum sapientissimi, SALOMONIS, a paterna manu acceptum regnum: quo etiam consilia de exstruendo amplissimo templo, mutato tabernaculi huiusque vsitati statu, agitabantur, & apparatus vndiquaque decernebatur, & fiebat maximus, vsque dum anno *tricesimo* secundo istius seculi, fundamenta, pia inter vota & applausus, iacerentur, quibus tota ista moles incumberet; atque ita cultus veri DEI feliciter propagaretur. Seculi *tricesimi* primi anno *tricesimo*, Rex religiosissimus, Iosaphatus, qui paulo ante sceptrum patrum in regno Iuda capefferat, impietatis & superstitionis e regno eiecturus reliquias, docendi ministerium publicum instauravit, missis per oppida Prophetis & Levitis, qui populum verae religionis sensu cultuque imbuerent. Anno

Anno *tricesimo* fere post *termillesimum* ducentesium, EZECHIAS, Rex, aeneum serpentem, qui iussu divino a Mose excitabatur quondam, cum abusus & laesi graviter Numinis error accessisset, confregit. Circa annum *tricesimum*, seculo *tricesimo* quinto, sub DARIO HISTASPE, fabrica templi, redeuntibus edicto CYRI, regis Persarum, Israelitis coepta, impediabatur: Circa eandem tamen *tricennalem* periodum seculo *tricesimo* sexto templum, Vaticinantibus cohortantibusque HAGGAEO & ZACHARIA, pleno opere ad fastigium usque properavit, quod illi anno sexto Darii Nothi, Persarum Monarchae, tandem imponebatur sequenti *tricesimo* primo anno.

CHRISTVM, totius orbis Salvatorem, omnium Seculorum moderatorem ac Dominum omnia in secula, anno *tricesimo* aetatis suae sacro fonte initiatum esse, notissimum est. Circa annum *tricesimum* post quadragesimum a nato Christo, Concilium Ephesinum, Oecumenicum *tertium*, cui ducenti & triginta interfuere Episcopi, contra Nestorium celebrabatur. Caesar Baronius coniicit, (tom. 2. *Annal. Ecclesiast. N. T.* pag. 379.) circa annum Christi ducentesium *tricesimum* Origenem adamantium, Nicolai apud Actium, Graecam Vet. Testamenti

B

versi-

versionem dolio inclusam, reperisse. Idem (tom.
3. p. 442. & sqq.) recenset, anno Christi trecen-
tesimo *tricesimo*, Gallicano secundum, & Symna-
cho consulibus, Constantinopolin a Constanti-
no Imperatore DEO fuisse dedicatam. Eo-
dem anno publico edicto Imperator sancivisse
dicitur, vt per multas admodum vrbes sacrarum
scripturarum volumina mundissime descripta ap-
pararentur, vt in promptu sit piis hominibus
tanti thesauri copia. PROCOPIVS (de aedi-
ficiis Imp. Orat. V.) refert, anno Christi *tricesimo*
& quingentesimo Hierosolymis splendidissimum
illud, & sumptuosissimum templum fuisse ex-
structum. Alia plura possent ex Chronologo-
rum & Historicorum adduci monumentis, quae
singulis fere seculis, *tricesimo*, aut circiter anno
contigerunt: nisi ad annum *tricesimum*, qui hoc
tempore inprimis in memoriam revocandus &
probe considerandus, esset properandum. Est
ille seculi post Christum natum sexti ac decimi.
O annum *tricesimum* desideratissimum, felicissi-
mum aeternaque memoria dignum! qui vere
bonum *ternarii* omen ostendit, atque afflictae
vniuersae nostrae ecclesiae auspiciatus admodum
fortunatusque fuit: quippe quo veritati divinae
antea reiectae prodire iterum in lucem publicam
licuit; quo illa a tot iniuriis & calumniis vindi-
cata; quo ab hostibus ipsis agnita & approbata;

ex

ex quo mitissimus pariter ac prudentissimus Romanorum Imperator CAROLVS V. d. XXV. Iunii permisit, vt Confessio nostra in splendidissima Regis, Electorum, Principum, Comitum & statuum imperii corona, Augustae Vindelicorum recitaretur; qua elementissime per binarum horarum spatium audita, o rem admirandam! DEVS misericordissimus tantam lucem in procerum cordibus accendit, vt horrendas adversariorum calumnias, quibus Nostrates petierant, esse iniqvissimas animadverterent nostraeque religionis formulam invictam esse agnoscerent & faterentur. O annum auspiciatissimum! qui pacem, libertatem, tranquillitatem, quibus in hunc usque diem, divina gratia, in Romano Imperio vtimur, nobis attulit! Tantos enim in Imperatoris, regum ac principum animis veritatis stimulos memoria editae illius Confessionis reliquit, vt dignam illam tandem iudicarent, cuius libera in Imperio Rom. omnibus deberet esse professio. Quae laetissima sententia sanctione pragmatica, quam & pacificationem religionis vulgo vocant, in Comitibus anno MDLV. Augustae habitis, vt & postea pace Monasteriensi confirmata & constabilita. Atque hoc est, quod perpetuo nostris inculcandum, & posteris commendandum est, tantum esse in hac Confessione, quod DEVS Q. M. senescenti mundo, &

ecclesiae cum primis afflictissimae contulit beneficium, ut nulla unquam oratione satis exprimi ac praedicari possit.

Notatu quoque dignus est ac fortunatus censendus annus superioris Seculi *tricesimus*, quo saeviente licet vehementissime bello Germanico, & A. C. hostibus ringentibus & frementibus, & nostram religionem, August. Confessionem atque Iubilaeum eius primum ludibrio habentibus, illud tamen ubique fere & in terris quoque Ruthenicis, inter armorum strepitus, celebratum est. Felicior omnino praesens annus *tricesimus*, quo ex bonorum omnium voto secunda A. C. sacra secularia, ubique, quae illam confitentur & amplectuntur, locorum, tranquillo rerum statu, florente pace publica, florente religione pura & incorrupta, institui ac peragi possunt. Quum igitur **ILLVSTRISSIMI COMITES ac DOMINI DN. HEINRICVS XV. DN. HEINRICVS XVIII. DN. HEINRICVS I. DN. HEINRICVS XXIX,** Iunioris lineae Rutheni, Comites ac Domini a Plavia, Domini in Graiza, Crannichfelda, Gera, Schlaiza & Lobensteinio &c. Domini nostri Clementissimi, pro ingenti illo, quo erga **DEVM** & veritatis coelestis professionem flagrant amore, solennem ac triduanam supplicationem secularem, primam quidem **VII.**

ccclc-

s B

KALEN-

KALENDAS IVLIAS, illo ipſo Auguſtanae
Confessionis natali auſpicatiſſimo, inſtituendam
ac peragendam indixere: & nos illa finita, haec
auſpicia, haec exempla, qua par eſt pietate ſe-
quemur, atqve quod noſtrarum quoqve partium
eſt, in Gymnaſio provinciali, DEO adiuvante,
perficiemus.

Itaque die XXVIII. Iunii finitis ſacris matuti-
nis, Gymnaſii Rector orationem ſecularem
de Auguſtana Confessione Heroica, nomine
& omine Auguſta, & Auguſtis auctoritatibus
corroborata recitabit.

Deinde prodibunt V. ſelecti e prima Claſſe cives,
& eorum

- I. Johann Simon Schernhauer, *VVeiffenſea-Thur.*
orationem de variis tubilaeis habebit.
- II. Johann Gottlieb Köſel, *Geranus,*
nonnulla A. C. miracula admirabitur.
- III. Johann Samuel Goldner, *Geranus,*
A. C. multorum hoſtium victricem producet.
- IV. Georg Friedrich Tieroff, *Geranus,*
Caroli V. Imp. ſingularem clementiam erga
A. C. & eiſd. Confefſores praedicabit.
- V. Julius Friedrich Günther, *Geranus,*
EL. Saxoniae IOHANNIS Constantis, ſingularia
in A. C. merita exponet.

DIE XXIX. Ivnii.

Gymnasii Con - Rector,

M. IO. HEINRICVS Wolff,

SS. Theologiae Baccalaureus,

de quibusdam, quae de Religionis negotio, inter R. E. Cardinalem, *Iacobum Sadoletum*, & *Georgium Ducem Saxoniae*, ac *Gvilielmum Bavariae Ducem*, post exhibitam anno MDXXX. Confessionem, anno MDXXXVII. sqq. ad annum XLV. per mutuum literarum commercium deliberata & agitata fuerunt, differet breviter atqve exponet.

Deinceps de IO. FRIDERICO, Principe & Electore Saxoniae dicturi sunt tres secundae classis alumni, & quidem

- I. **Gottlieb Müller**, *Geranus*, eundem tanquam piissimum sanctae fidei *Aestimatores*,
- II. **Johann Laurentius Ditscher**, *Ronneburgensis*, Confessorem constantissimum,
- III. **Heinrich Christian Krospe**, *Geranus*, Defensorem fortissimum sistet ac diaudabit.

DIE

DIE XXX. IVNII.

M. IO. CHRISTOPH. Schleußner,
Illustris Ruthenæi Collegæ Tertius.

Carmine sæculari enarrabit historiam emenda-
tæ religionis. Hinc tertiæ classis discipuli,

I. Heinrich Friedrich Ruzschenbach, *Geranus.*

paucula dicet de meritis Luheri in A. C. lin-
gva germanica.

II. Christian Friedrich Schmidel, *Geranus.*

paucis exponet merita Philippi Melanchtho-
nis in A. C. lingva latina.

IV. Carl Gottlieb Fürbringer, *Geranus.*

addet brevem λόγον εὐχαριστικὸν lingva vernacula.

DEVM veritatis auctorem, cuius gratiæ dul-
cissimi huius gaudii fructum debemus, religio-
se precamur, vt veritatem suam in lucem Vitember-
gæ a LVTHERO revocatam, & Augustæ
Vindelicum luci rursus expositam, intrepide
assertam, multis clarissimis testimoniis confir-
matam, conservet, protegat, & ab omnibus
tempo.

VD 18

temporum iniuriis infestisque casibus prohibeat,
ac toto diffeminatam orbe sartam tectam prae-
stet vsque ad seculi finem. Quod restat, IL-
LVSTRISSIMOS COMITES ac DOMI-
NOS, Patriae Patres optimos, reliquos ILLV-
STRISSIMOS COMITES ac DOMINOS, maxi-
me venerandos Dominos Ephoros, omnesque
omnium ordinum Nobilissimos Amplissimosque
Viros demisse perquam, observantissime hu-
manissimeque rogamus, vt sacra haec secula-
ria splendidissima sua ac honorifica praesen-
tia dignari velint. P. P. Gerae Ruthenicae
Dom. III. post Trinit. Secundo Augustanae
Confessionis anno Iubilaeo
M DCC XXX.



X 3362655

1088



Q. D. B. V.
ERTATIO SECVLARIS
DE
D ET TER DENARIO
MINIS NVMERIS,

QVA
NDA ADMODVM, SACRA SECVLARIA
NSTAVRANDAM MEMORIAM
ANAE CONFESSIONIS
ANNO MDXXX.

D V. & FERDINANDO REGI
COMITIIS AVGVSTANIS
AVSPICATO EXHIBITAE
THENEO DIE XXVIII, XXIX, XXX. IVNII,
LEMNI RITV CELEBRANDA,

IOS COMITES AC DOMINOS,
IS LINEAE RVTHENOS,
MINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREI-
CHFELDA, GERA, SCHLAIZA ET
LOBENSTEINIO ETC.

AE PATRES OPTIMOS,
ES ET PVRIORIS RELIGIONIS ET
M LITTERARVM CLEMENTISSIMOS,
NEC NON

LIQVOS HIC DEGENTES
S COMITES, IVN. LIN. RVTHEN.
TVM QVOQVE

HILES DNN. INSPECTORES, CETEROSQVE,
AM ORNANT, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS
OS, PRAECLARISSIMOS, SPECTATISSIMOS,
MOSQVE VIROS DEMISSE ADMODVM,
VANTISSIME HVMANISSIMEQVE
INVITAT

VS LVDOVICVS GOLDNER,
Illuſtris Ruthenei Reſtor.

R AE, LITTERIS WINTERIANIS



Exec. Dn
von Cize
Com. offic. Sa
mit